

sensuum, cum præelectione junctus, in nimium vel parum declinans. Ubi generis loco ponitur habitus; quo indicat, vitium non esse privationem, sed ens, & quidem qualitatem. Verum quidem est, Metaphysicos malum dicere non ens, seu boni absentiam ac *σέησιν*, unde acris orta est contentio de causa mali; sed sciendum est, Ethicum morale vitium aliter considerare. Distinguit enim inter vitium & vitiositatem. Vitium notat habitum malum seu vitiosum; vitiositas verò non habitum, sed malitiam & pravitatem, nempe privationem bonitatis in subiecto *πρωτόν*. Quare ut virtus comparatur crebris actionibus honestis, ita vitium acquiritur crebris actionibus pravis; & ut virtus est habitus bonus, ita vitium est habitus malus. Virtus igitur opponitur vitio adversè, non privativè. Præterea, ut virtus est à rectâ ratione, ita vitium à prava. Per pravam autem rationem intelligendum est depravatum & occæcatum iudicium, quo quæ verè & ὄντως mala sunt, propter appetitus & affectuum prædominationem videntur bona. Sic enim error iudicii parit pravitatem in voluntate.

3 Vitium morale duplex est, vel in excessu, vel in defectu.

SCHOL. Pulchrè Arist. lib. 2. Ethic. cap. 2. τὰ ὑπερβάλλοντα γομνάσια, ἢ τὰ ἐλλείποντα, φθείρει πλὴν ἰσχύος, τὰ δὲ σύμμετρα ἢ ποιεῖ ἢ αὐξάνει ἢ σώζει. Quod idem est verum in ethicis actionibus. Quoties enim à mediocritate deflectimus, vel ad ὑπερβάλλον, vel ad ἐλλείπον itur; quoties peccatur, aut in excessu aut in defectu peccatur. unde Germani dicunt: Zu wenig vnd zu vil ist des Deuffels zil. Et Horatius: Dum vitant, stulti vitia in contraria currunt. Porro excessus & defectus dicuntur ἄκρα, id est, extrema, siquidem inter ea interjecta est virtus, quæ propterea mediocritas vocatur. Quò respicit illud Horatii:

Est mo-

Idcirco vitiositas nunq̄ e ens.

Idcirco vitium e nunḡ e ens, q̄ virtus, sed ens nullu